

adfectum illum intimum atq; ardentissimum, quo Deus, ipsiusq; Filii  
*Jesus Christus* erga<sup>a</sup> suam Ecclesiam & quamlibet fidelem animam  
 ducitur, insigni adeo amabilitate & tenerrimō colloquio non tam  
 adumbrare quam depingere voluisse, atq; sic sermonem direxisse  
 eis χριστον καὶ τὸν εὐαγγελίον τὸν μέγα appellat  
 Apostolus Epbes. V, 32: Et hoc ipsum est, quod in p̄fatione Can-  
 tici monuit Richardus de S. Victore, Bestiales nobis adfectūs exuen-  
 di sunt, ne ad sacrum hunc montem bestiae accedentes lapidum grandi-  
 ne obruantur aut cœlesti incendio absumentur. Intelligitis, opinor,  
 severissimæ præceptionis allegoriam excap. XIX, 13: Exodi peti-  
 tam, quā reprimitur curiositas singulis hominibus innata, da-  
 mnanturq; mortis sententiā transgressores, quo ad majorem ad-  
 ducti modestiam sobriè sapient, uti in h. l. adnotat *Christoporus*  
*Pelargus*. Ac licet varii sensus à divetsis afferri soleant, tenen-  
 dum tamen fuerit, quod *B. Augustinus* monuit, utrumq; si utrum-  
 que verum sit, acceptandum esse, & si quid tertium, & si quid  
 quartum, & si quid omnino aliud quispiam in illis verbis videat,  
 si quidem unus Deus sacras literas vera & diversa visuris multo-  
 rum sensibus temperaverit, ut & heic valeat illud Paulli, *Omnia*  
*bac efficit unus ille & idem Spiritus*, dividens peculiariter unicuiq;  
 sicuti vult I. Corintb, XII, 11: Ubi tamen semper distinguendum  
 erit inter sensum genuinum sive proprium à Spiritu S. itenntum,  
 & accommodatum; inter genuinam dicti alicujus explicationem,  
 & secundariam ejus applicationem.

Cùm ergo hæc ita sese omnino habeant, & juxta *Gregorii*  
*Nysseni* admonitionem, enarratio hujus Cantici non inhærere  
 literis debeat, sed consideratione quadam diligentiori à crassâ  
 vocum significatione ad spiritualem contemplationem mens sit  
 avertenda, venerabilis Gerhardus verba in principio adducta de  
*Beatis Angelis* exponit, utpote quos Deus ter Opt. Max. Ecclesiæ  
 suæ, ejusq; omnibus ac singulis membris in custodias ac vigilias  
 deputaverit, Idq; ex eo, quod singula & verba & sententias Salomo